

tinua dispartitam obtinet caliditate. Quemadmodum in agro nuper conspexi excrementa iumentorum simul ac columbarum quædam ex parte à sole adeò vehementer excalefacta quod instar fumi multam evaporationem in sublime emittebant, non parum mordacem ac dolorificam, & si quis proximè accessisset nates oculosque lædentem. Ipsa etiam excrementa tangentibus adeò sentiebantur calida ut qui longiori tempore manus & pedes admonisset exurentur. Non tamen continuo huiusmodi casus perdurabat, sed in die qui sequebatur quicquid die superiori ad summum peruerat feruoris refrigerabatur. Quod autem hinc continuum erat dum prima pars quæ calorem conceperat in summo esset feruore ipsum interim quod prius erat succensum paulatim mox priori se feruore remittente, iterum incalebat, atque efferuescebat, & paulò post priori parte refrigerata, ipsum summum feruorem obtinebat: hocque rursus deferuescebat dum pars continua paulatim succendebatur, quæ paulo post vehementius accensa ad summum feruoris perueniebat. Hic autem circuitus in vnius fere diei ac noctis spatio peragebatur: Adeò ut quotidianæ febris propriissimum esset exemplum.] In omnibus his Galenus velle videtur nihil esse quod sit putrefactum, sed omnia putrescere. Pro hac opinione duæ etiam rationes sunt, altera si esset tunc nullam haberent formam propriam, aliter calor naturalis esset præternaturalis quia calor ille præternaturalis esset forma mixti, & ita fieret naturalis; iam si corrumpit adhuc calor, adhuc putrescit. Si non, igitur vel est finitus, vel factus naturalis. Secundo si esset humidum quæ enim sicca sunt nullo modo possunt putrescere 3. Epidemiorum; igitur cum calor præternaturalis corrumpat humidum adhuc putredo sæuiet, & non erit perfecta. Oppositum vndecimo artis curatiuæ quod perfectè putrefactum est eiici debet, igitur datur quod putridum est. Item mutatio omnis est ad terminum quempiam, sed putrescentis est putrefactum, generationis genitum, corruptionis corruptum; igitur datur putridum. Galenus etiam secunda aphorismorum: Quod enim vinis accedit accrescentibus, tale quiddam in sanguinis permutatione contingit: id autem quod vinis accedit tale est; ubi enim ex toto acida facta sunt, non redeunt amplius ad vini naturam: ubi verò paruo momento acidum saporem contraxerint, nec tamen acutum facta sint multa ex his in priorem redeunt statum. Constat igitur putredinem quoque factam esse. Accedit ratio, nam si putrescat ouum aut malum in sole, remoueantur autè à sole nec amplius putrescat sub eo gradu putredinis, manebit quod corruptum est, atque eadem ratione quod perfectè computruit. Rursus humidum quod putrescit dum ex toto est putrefactum vel putridum est, & habeo intentum; vel non est putridum, & sic terminus mutationis erit contrarius ei quod per mutationem ei acquiritur. Dices forsàn quod non erit putridum sed siccum, igitur putredo non augetur sed minuetur; nam sic-

ca nec putrida esse possunt, nec putrescere. Pro concordia sciendum primò est quod Galenus vndecimo artis curatiuæ vult quod ad putredinem faciendam necessarium sit id quod putrescit esse humidum & calidum primò, secundo constitutum esse in loco calido & humido, tertio quod sit nec perflatus locus nec ventilatus. Sed forsàn non omnia hæc ad putredinem, sed solum inchoandam necessaria videbuntur. Nec forsàn omnia hæc ad inchoandam putredinem; Namque secundo de differentiis febrium sequutus Aristotelem, inquit putredinem ab aliena oriri caliditate. Ipse enim Aristoteles Metheororū quarto dixit. [Putrefactio est corruptio in vnoquoque humido propriæ caliditatis secundum naturam ab externo calore.] Exponit autem quinam calor externus, & dicit ambientis. Ex hoc cõcludit duo Philosophus nec ex quo sequitur tertium: primum quod omne quod putrescit à frigore naturali & calore externo putrescit, nam calor intimus & naturalis prohibet putredinem, igitur quatenus putrescit est frigidum intus. Secundum quod quæ putrescunt siccantur, idèd dicit sunt terra & tandem finis, nam calore naturali corrupto cum exhalet, secum distatur & humidum. Putredo igitur primo persequè est corruptio caloris naturalis, inde ob id etiam humidi in quo fundatur. Tertium est quod ad demonstrationem secundi assumitur: & est quod humidum non trahitur nisi à calore naturali: & calor naturalis destruitur; igitur non trahitur, sed exhalat, igitur siccatur non tamen penitus siccare necesse est, quia humidum aqueum calori naturali minimè coniunctum est, ideo non est necessarium humidum tale exhalare, ob id subiunxit Philosophus terra vel finis. Prius verò dixerat putrefactionem dici de his quæ secundum partem corrumpuntur. Igitur non datur putridum. Dico ergo quod putridum perfectè non datur; & ratio est quia si putredo est corruptio caloris naturalis exhalante humido, igitur postquam perfectè computruit, exhalauit humidum naturale, igitur non potest esse putridum; Sed datur putridum id est putrefactum sicut mortuum. Ad auctoritatem Galeni, & secundo aphorismorum distinguit putredinem validam & quæ corrigi non potest non autem perfectam à putredinis initio quod corrigi potest ut in comento aphorismi ex sequentibus verbis deprehendi potest. Ad primam rationem terminus putredinis est extinctio natui caloris, nõ autè actio externi. Sed talis extinctio cum siccatum fuerit manet, non autem putredo quæ humidum persupponit nullam caloris extinctionem. Ad secundam non est de perfecta putredine. Ad ultimam dico quod non erit putridum, sed siccum. Cum dicis igitur putredo minuitur, respondeo quod verum est, quia actio illa remittitur iuxta finem consumpto humido; cum igitur calor naturalis & externus sunt maxima, tunc putredo est maxima, sed res tunc nõ est maximè putrefacta. Hoc enim cõtingit in motibus quibus non acquiritur forma eadem quæ per motum inducitur. Idèd dico quod putridum est illud in quo putredo pro